B. C. D.

DISPUTATIO MEDICA

De

ACIDO VENTRICULI FERMENTO,

Qvam

Indultu Gratiosiss. Facultatis Medicæ,

PRO LOCO

In eadem suo tempore obtinendo,

defendet

d. 25. Sept. Horis ante - & pomerid.

AUGUST. QVIR. RIVINUS,

Phil. & Med. D.

Resp. à meridie

CHRISTIANO JOHANNE Langen/

M. C.

ANNO M. DC. LXXVII.

Literis JOHAN. GEORGII.

I. D. N.

PRÆFATIO.

QVemadmodum ex dubitatione veritas, ita & falſum ex credulitate propagatur. Vix autem qviſqvam adeò cautus eſt, qvem commentum qvoddam ingenioſum ac ſpecioſum non facile reddat credulum. Inde non miror, qvanto cum applauſu FERMENTUM VENTRICULI hodienùm ab omnibus ferè excipiatur. Videbatur etenim probabilius, oſſa in canum, lapillos in gallinarum ventriculo, ferrum in ſtruthiocameli ſtomacho digeri à ſolvente qvodam acido, qvàm à calore. Itaq; à nemine dubitatum eſt amplius de fermenti hujus exiſtentiâ, qvantumvis ejuſdem natura ac ortus ſollicitos reddiderit non paucos. Pleriſq; ſuccus dicitur acidus, aliis ſalſus, modò acido-ſalinus, modo inſipidus. Primi eundem ex liene ad ventriculum derivarunt; alii eum congenitum volunt, qvi ſuſtentetur à reliqviis chyli ac affluente ſalivâ, alii ex arteriis cœliacis per tunicā ventriculi glanduloſam transſudare, vel ex glandulis ventriculo adhærentibus eum infundi volunt. Uſum interim huic fermento duplicem tribuunt, nempe primum in excitando appetitu, & alterum in chylificatione perficiendâ. Qvod ſi verô cum veniâ ac pace

eruditorum dubitare licet circa vulgatam hanc de fermento ventriculi opinionem; propositum est mihi, hac occasione argumenta, qvæ pro fermento adstruendo adducuntur examinare, hisq; mea subjungere qvaliacunq; dubia. Neve rejecto hoc fermento deficiat appetitus ac chylificationis causa, annectam in altero Capite succedaneum aliqvod, mihi verosimilius visum. Faxit Divinum Numen ut cedat feliciter!

CAPUT I.

I.

QVantumvis Helmont non sit primus fermenti stomachalis Autor, pluribus tamen idem & explicuit & confirmavit, postqvam caloris vires in chylificatione rejecerat, ut major doctorum numerus eum seqvi non dubitet.

II. Lien qvidem, à qvo fermentum inspirari in stomachum statuebat Helmont, vix hodiè à qvoqvam amplius attenditur, cum plures testentur observationes, è canibus atqve felibus, qvandoqve & ex homine lienem exemtum esse citra chylificationis læsionem. Aliam proinde patriam extra duumviratum huic fermento qværunt; qvâ de re jam actum est in præfatione.

III. In hoc autem conveniunt, qvod credant hoc fermentum esse acidum qvoddam vitale, ideoqve singulare, cui par non sit aliud in rerum naturâ.

IV. Huic duplex assignatur usus. Primò enim ab hoc, in defectu alimenti, affici orificium ventriculi sinistrum, atqve sic famem produci asserunt, excepto Tachenio, qvi sui oblitus, deficere in fame acidum docet in Clave p. 161. cum tamen in Hipp. p. 88. demonstrasset, jejuno cujusvis sani stomacho inhabitare acidum.

V. Deinde, ubi assumta sunt alimenta, existimant ab hoc liqvore acido solvi eadem ac discontinuari per modum fermentationis, donec in albicantem chyli colorem convertantur.

VI. Sententiæ huic ut fidem faciant, utuntur variis argumentis. Ad existentiam ejus probandum, jubet Tachenius lac bibere jejuno stomacho, idqve revomere; tùm non modo ex sapore acido, sed & ex lactis coagulatione manifestum esse putat, acidum qvoddam fermentum contineri in ventriculo.

VII. Alii idem probant per limaturam ♂is deglutitam, qvæ sulphureum, paulo post eructare solet odorem, simillimum illi, qvi affusionem aqvæ fortis alias seqvitur.

VIII. Alii ipsos ventriculos dissectorum brutorum examinant, inqve his vel gustui tale acidū exhibent, vel bilem affundunt aut aliud alcali, ut ex hinc nata effervescentia demonstrent præsentiam acidi.

IX. Sed respondeo ad hæc experimenta paucis, hæc ipsa non probare, qvod probare debent. Rectè qvidem infertur ex his, acidum contineri in ventriculo; hoc ipsum autem esse ejusmodi fermentum, qvod famem excitet, ac sine qvo non succederet chylificatio, id sanè neutrum omnium evincit.

X. Acidum qvippe, qvod his modis demonstratur, non connatum est. Infantum enim ventriculus id nescit, eò qvod magis nocivum foret, qvando coagularet lac, qvam utile, utpote qvi absqve fermentatione maternum lac digerit.

XI. Qvamprimum autem panis, cerevisia, fructus horæi, aliaqve diversarum partium alimenta assumuntur, necesse est ilico propter concursum diversorum salium oriri fermentationem, qvæ si vel maximè citra manifesti cujusdam acidi additamentum contingat, non potest non tamen, pro more aliarum fermentationum, acidum spirare ac sapere, acidasqve relinqvere particulas.

XII. Productum hoc per fermentationem acidum est illud, qvod pro fermento vulgò habetur. Nec Hippocratis Aphorismus I. lib. VI. qvem pro confirmando stomachi fermento communiter adducunt, aliter explicari debet, qvàm ex ructibus acidis clarum esse, cessare lienteriam, contineriqve iterum alimenta in ventriculo ac debito modo fermentari, sicqve non deesse spem recuperandi vires, sanitatemqve pristinam.

XIII. Sed pergendum mihi est ad alia argumenta, qvibus fermenti hujus patroni utuntur, præcipuè in appetitu hinc deducendo. *Primum* atqve palmarium desumunt à juvantibus. Etenim si appeti-

tus acuitur acidis, ut sunt succus citri, aurantii, granati, omphacium acetum, cerasa, ribes, berberes, spiritus item 🜍is, ⊖is, ⦶i, atqve 🜖li sequitur fermentum stomachi esse acidum.

XIV. *Alterum* à nocentibus argumentum petunt. Asserunt enim, omnia, qvæ acidum alias infringunt, alcalia volatilia & fixa, item & terrea pessundare appetitum, vimqve fermenti stomachalis enervare propter destructum ejusdem acorem.

XV. *Tertium* desumunt à fame caninâ. Si enim fames augetur ab acido aucto ac nimio, concludunt & famem naturalem oriri ex acido blandiori. Scilicet si canina fames tantùm gradu discrepat ab ordinario appetitu, probabile videtur & causas horum saltim gradualiter atqve secundum magis & minus differre.

XVI. Qvid multa? Si verum est, qvod Hechstetterus in Obs. Med. p. 482. & seqq. affirmat, esurientes sentire hujus fermenti blandam ac serosam aciditatem in os ascendere, qvæ gratissimè vellicet lingvam, dentesqve feriat; cur dubito de ejus efficacia in excitando appetitu?

XVII. Respondendum igitur est ad singula seorsim. Ad *primum*: Concedo, acida sæpius appetitum excitare, qvatenus nempe vel cruditatem ventriculi nidorosam corrigunt, vel pituitam ibidem hærentem incidunt & detergunt; atqve sic impedimenta qvidem spontaneæ ciborum fermentationis removent, fermentum autem nec constituunt, nec augent.

XVIII. Cur enim acida non semper juvant, qvod in Venere enervatis, aliisqve virium prostrationibus qvotidie notamus cum tædio; cujus rei causam Secundi Capitis §. 37. explicatam dabit.

XIX. Præterea & acida ipsa appetitum qvandoqve dejiciunt. Ribes sanè, cerasa, mala atqve pruna, imò fructus horæi ad unum omnes, sive actu sint acidi, sive acescentes, qvandocunqve, stomacho præsertim jejuno assumti, diarrhœam invehunt, ilico appetitus perit. Hujus exemplum ex mororum esu annotavit Helmont p. m. 18. 4, 21. plura suggerit qvotidiana experientia.

XX. Ad *secundum* respondeo: Verum est, oculos ♋, C.C. hæmatitem, limaturam crocumqve ♂is similiaqve terrea appetitũ sedare; sed non alio modo, qvam petaso, fumosa farcimina, asellus truncatus, & similes duriores cibi eundem qvadantenus dejiciunt. Alcalia

lia autem fixa æqve ac volatilia tantum abeſt, ut deſtruant appetitum ordinarium, ut potius eundem ſæpius à pituita proſtratum excitent.

XXI. Optimo ſanè conſilio hæc ipſa præſcribit Sylvius in Pr. lib. 1. c. 2. §. 28. Secutus eum non infeliciter ſum atqve expertus præcipue ſpiritum ſalis ammoniaci, non vulgarem, ſed qvi ſal ♀ri adjectum, ob enchireſes qvasdam, ſibi aſſociat. Sicqve volatile ſimul & fixum continet alcali, non ingratus tamen eſt, ac præterea ventriculi cruditatibus acidis ſumme conveniens.

XXII. Qvod ſi igitur alcalia æqve ac acida excitant appetitum, cur non eodem modo fermentum ventriculi aſſero eſſe alcalinũ.

Si enim ſeqvitur:

Fermentum ventriculi eſt acidum, qvia appetitus excitatur acidis,

Colligo & ego:

Fermentum ventr. eſt urinoſum, qvia appetitꝰ excitatur Urinoſis.
Addo: - - - - ⊖ſum, - - ⊖ſis.
- - - - aromaticum - - aromatibus.

XXIII. *Tertium* qvod ſpectat. Notum eſt à ſtatu præternaturali ad naturalem non valere conſeqventiam. Ex ſuperabundanti tamen aſſumam hoc ex collatione petitum argumentum, ejusdemqve inconvenientiam monſtrabo. Diſtingvo autem in fame caninâ hæc duo à ſe invicem, nempe (1.) digeſtionem celeriorem & (2.) appetitum inordinatum ac ferè continuum. Prius illud rectè ab acido qvodam acriori deducitur, qvod aſſumta ilico ſolvit, ac poſtmodum ventriculum ſtimulat ad horum ejectionem vel per ſuperiora, vel per inferiora. Poſterius autem propter hoc acidum non accidit eò, qvod orificium ſiniſtrum ab illo vellicetur; hoc enim adhuc probandum eſt, ſed propter nimis citam alimentorum è ventriculo fugam.

XXIV. Acidum igitur non eſt appetitus in fame canina cauſa per ſe, ſed ſaltim per accidens. Vera autem ejusdem appetitus cauſa eadem eſt, qvam in altero Capite appetitui ordinario aſſignabo. Nullo itaqve modo ſeqvitur: Acidum acre eſt cauſa per accidens famis auctæ, ergò & acidum blandum eſt cauſa per ſe famis ordinariæ ac naturalis.

XXV. Sed nunc & Hechſtettero ſatisfaciendum eſt. Largior

gior autem eum observasse in seipso affluxum acidiusculi seri ac nata hinc vellicationes in ore. Largiar & idem accidere hypochondriacis, qvi cruditate ventriculi acidâ laborant. A particulari tamen ad u niversale N. V. C. Imò vero si vel maximè omnes idem sentiren acidum, qvod tamen falsum est, nondum tamen concludendum fo ret, acidum hoc esse appetitus causam, qvamvis ut proprium in ordi nario ac naturali appetitu semper accidat.

XXVI. Hæc sunt potiora, qvibus adstruitur, acidum esse ap petitus causam. Pergo nunc ad illa argumenta, qvæ chylificatio nem ab hoc acido perfici docent. *Primum* iterum à juvantibus acidi desumtum est. Nec diffiteor succum citri, acetum & similia promo vere qvandoqve chylificationis opus. Distinguendum tamen est in ter causam adjuvantem s. ministerialem, & efficientem s. principalem Rectissimè enim Helmont asserit pag. 168, 13. digestionem hanc esse opus vitæ ipsius, cujus instrumentum satellitium sit acor.

XXVII. *Alterum* argumentum à nocentibus petunt, asserun qve à terreis & alcalibus assumtis chylificationem impediri. Sed ec dem modo ut supra §. 20. respondeo per distinctionem. Ita enim e ex abusu terreorum, præcipue magisteriorum chylificationem insign ter lædi, qvatenus nempe hæc ipsa non connatum qvidem fermentu præcipitant, sed qvatenus assumtorum acidum absorbent, atqve spontaneam eorum fermentationem inhibent.

XXVIII. Salia autem alcalia præcipuè volatilia non mod chylificationem non turbant, sed & eandem accelerant sæpius. Sa & ⊖ volat, ♀ri, C. C. succini, Urinæ & ✱ci ab Experientissimo Sylv p. 58, 26. hunc in finem commendata, convenientissimè in cruditat ventriculi acida, aut acidis cibis superingesta, primam digestione promovent.

XXIX. Qvemadmodum enim in omni fermentatione utru qve ⊖, acidum & alcali reperiuntur, ac neqve alcalia neqve aci sola eandem excitare qveunt; ita & utrumqve ⊖ pro fermentatio ventriculi reqviritur. Inde, si alcali superet acidum, propinam acida ad facilitandam fermentationem; si acidum superet alcali, a dimus alcalia eâdem lege. Merentur sic & ipsa alcalia qvandoqv fermenti nomen; qvod cineres clavellati satis testantur, ad mel f mentandum, pro panibus hinc conficiendis, adhibiti.

XX

XXX. Atqve sic qvidem satis, ut puto, ostendi, in stomacho non habitare fermentum, qvod vulgò credunt, qvodqve appetitus ac chylificationis causa dicitur; acidum autem, qvod in ventriculo ac chylo deprehendimus, ex spontaneâ assumtorum fermentatione oriri. Sed tempus est, ut & meam de appetitus ac chylificationis causa opinionem exhibeam. Hæc ipsa autem nec mea solùm est, nec pro infallibili aut invincibili venditatur; communi tamen probabilior videtur, atqve ad plura aliàs obscura dilucidanda aptior. Visa ergò mihi est digna, qvæ hâc occasione publicè ventilaretur.

CAPUT II.

I.

SEposita jam anima rationali, supponam sensitivam ac vegetativam esse spiritus, qvorum sedes cerebrum sit cum cerebello atqve medulla spinali, unde per nervos ad partes qvascunqve corporis abeant, & qvorsum eâdem viâ iterum remeent.

II. Insigniores ergò ventriculi nervi, qvi paris vagi sunt rami, adducunt æqvè & abducunt spiritus. Nec verò probabile est, pro motu saltim ac sensu, sed potius alium adhuc in usum hos majores nervos ipsi datos esse â naturâ.

III. Famis itaqve & chylificationis causam, postqvam acidum ventriculi fermentum destructum est, ab his ipsis petendam esse, varia mihi persvadent. Primùm recensebo ea, qvæ circa famem, ac postmodum qvæ circa chylificationem mihi visa sunt.

IV. Facultas sanè appetitiva non minus qvam sensitiva & locomotiva ipsius animæ s. spirituum functio est.

V. Qvid manifestius est? salivam, conspectis aut odoratis saltem delicatioribus ferculis, ubertim in os affluere, idqve propter impetum facientes spiritus, qvi ex nervis salivales ductus copiosè concomitantibus alliciuntur, salivamqve unà movent, ac magis spumosam reddunt.

VI. Sed transeat hoc, non enim perpetuum est; motus autem spirituum, qvo ad stomachum deferuntur, in omni fame necessariò accidit, & qvemadmodum in venereo appetitu copiosius affluunt ad or-

gana

gana spermatica spiritus, ibidemqve semen rarefaciunt ac spirituosius reddunt; ita & in ventriculum affluentes vacuum, ubi non reperiunt in qvod agant, nisi fortè pauciores assumtorum reliqvias, fluctuant ibidem, qvod esurire dicimus.

VII. Vacuo hoc ventriculo accidere dixi; assumto enim cibo fluctuatio hæc cessat, nec locum habere potest, si qvando viscida pituita aut acidæ nidorosæve cruditates ventriculum repleant in anorexia.

VIII. Qvandocunqve autem ventriculo vacuo influunt spiritus, præsens est fames, & contra, qvandocunqve non influunt, deficit fames.

IX. Postqvam enim chylus distributus ac spiritus hinc restituti sunt, qvod horâ post prandium sextâ, post cœnam vix duodecimâ accidit, esurimus iterum ob affluentes copiosiores spiritus.

X. Etenim si diutius abstineamus à cibo, perit idem appetitus, nempe ob deficientes paulatim spiritus. Elegans proinde est historia, qvâ Diemerbrœck in sua Anat. p. 38. testatur de seipso, postqvam cum sociis jejunasset ad sesqvidiem, se non amplius famem sensisse ac tertium usqve diem, sed saltim corporis debilitationem. Scire autem velim, qvorsum tunc abierit fermentum acidum hactenus creditum, qvod sic potius summam, ex illorum hypothesi, contraxisset acrimoniam.

XI. Sed pergendum mihi est ad juvantia appetitum, atqve huic nocentia. Primùm examinemus exercitium corporis. Hoc moderatum est, famem excitat; eò qvod aucto tantisper sangvini motu spirituum generatio promoveatur. Excessivum autem ubi fuerit, ita ut vires prosternantur, tunc perit omninò fames, præcipue in his, qvi debilioris sunt naturæ.

XII. Qvicqvid enim spirituum generationem promovet, id omne famem excitat. Aromatica itaqve ac analeptica spirituosa facile palmam præripiunt aceto, succo citri, spiritui 🜖li, 🜍is & ⊖is aut qvibuscunqve acidis.

XIII. Edoctus id sum hoc exemplo. Vocabar aliqvando a ægrum, qvem diarrhoea pertinacior omnes adeò vires exhauserat, vix pedem manumve, nedum lingvam moveret, ac sceleton cute tantùm obductum exhiberet. Adhibui primâ die fortiora adstringentia

ia, exteriusqve applicatô emplaſtro meo ſtomachali, ſedatus eſt ilico lvi fluxus. Cum vero vires deficerent, cibumqve averſaretur, id u- icè poſtmodum laboravi, ut appetitum excitarem ægro, qvo felicius ires amiſſæ ex aſſumtis alimentis reſtaurarentur. Præſcripſi ergò ex horum hypotheſi acida per plures dies. Sed tantum abeſt, famem b horum uſu excitatam fuiſſe, ut potius ſtranguria hinc nata fuerit, væ acidi effectum in veſica prius, qvam in ſtomacho declarabat ſuo olore. Abſtinui ergò ab acidorum uſu, atqve eo ipſo die ceſſavit ranguria. Cautior inde factus, ſpirituoſa poſtmodum ac aromatica dhibui, eventu non in hoc modo, ſed & in pluribus poſtea felicis- mo.

XIV. Deſtruunt autem appetitum omnia ea, qvæ vires pro- ernunt atqve ſpiritus diſſipant: Veneris abuſus, ſudatio exceſſiva, . S. nimis larga, hæmorrhagia, alvi fluxus atqve ſimilia, dolor item morbus ferè omnis.

XV. Eodem modo & animi pathemata, mœror, ira, ac præci- ue terror famem extinguunt. In terrore namqve ſpiritus ſubitò re- ocedunt ad cerebrum ſedemqve nobiliorem, & ventriculum æqvè manus atqve pedes deſerunt, ut ſæpius appetitiva facultas unà cum comotiva ac ſenſitivâ intercipiatur, corpusqve ſemimortuum ſen- busqve penè orbatum relinqvatur.

XVI. Hæc appetitus dejectio ex animi conſternatione totâ videm die notari poteſt, lubet tamen ipſius Helmontii exemplum ic revocare, qvod in Tr. Pyl. Rect. §. 20 habetur. Emturus hic llam, obambulat cum inſigni appetitu, tum fortuitò lapſus diſtor- vebat pedem, ac ſuperveniente rigore cum nauſea atqve vomitu, riore appetitu deſtituebatur, usqve dum repoſitus eſſet pes dislo- tus.

XVII. Adducit hunc caſum Autor pro confirmando pylori gimine, ſed fruſtra. Ego autem eodem utar partim ad rejicien- am aliorum de fermento hypotheſin, partim ad meam ſententiam hoc declarandam.

XVIII. Vix enim credibile eſt, acidum illud ventriculi deſtru- um ac præcipitatum unà fuiſſe in lapſu pedem dislocante, ac poſt- odum reſurrexiſſe, cum pes reſtitutus fuiſſet.

XIX. Longè autem probabilius eſt, ſpiritus è ventriculo retroi-

 viſſe

viſſe in lapſu, dubio procul Helmontium conſternante, ac poſteà a
dolentem pedem abiiſſe (prout in omni doloris genere ſolent,) eun
demqve repoſitum rurſus deſeruiſſe, atqve ad priſtinum rediiſſe
munus.

XX. Profectò ſi qvod aliud argumentum, hoc cumprimis me
am videtur confirmare opinionem, qvod animi pathemata tantam
vim habeant in deſtruendâ fame, ac ſæpius adeò ſubitam, qvanta vi
explicari poteſt ex aliis hypotheſibus.

XXI. Sed fame ſepoſitâ progredior ad chylificationem. De
pendet autem hæc ipſa non minus à ſpirituum influxu, qvàm fames.

XXII. Audiamus VVilliſium in Anat. Cerebri p. m. 132. & 13
Obſervatu dignum eſt, qvàm miro artificio uterqve paris vagi trunc
duobus ramis, velut geminis manibus invicem commiſſis, cum alte
utro communicant, priusqvam ad ventriculum pervenitur; eo qv
dem fine, ut utriusqve nervi influentia ad unamqvamqve ſtomac
regionem & partem æqvaliter pertingat: Cum enim uterqve ramu
ſtomachicus, ſcilicet tum ſuperior, tum inferior, è binis ramis ab utr
qve paris vagi latere prodeuntib9 conflетur; unà providetur, ut ſpi
tuum qvi ventriculo deſtinantur, tributa ſint certa & valdè copioſa
Nam illius viſceris actionem, ſ. chylificationem qvod attinet, ad illa
peragendam ſpiritus ex utroqve latere influi, in orificium, & exin
in ſingulas ejus partes & receſſus affatim diſtribuuntur; eoqve factu
eſt, ut ſtomachus ſupra menſtrui cujusvis chymici virtutem corpor
diſſolvat.

XXIII. Hanc eqvidem de Chylificatione ſententiam iteru
neglexit VVilliſius ipſe in Pharmac. Rat. p. 15. ubi nervorum oblitu
liqvorē qvendam ſpirituoſum arterias tantummodo cœliacas ſupp
ditare poſſe aſſerit, qvi cum chyli reliqviis, in cruſta villoſa hæren
bus conjunctus, fermentum ſtomachi vulgò creditum conſtituat. V
autem ſatis miror, qvam avidè aliorum de fermento opinionem ha
ſerit, reſpuens nervorum ſuccum, aliàs ipſi admodum placentem.

XXIV. Rectius autem prius illud aſſertum retineo; moneo t
men, hanc vitalem atqve à ſpiritibus dependentem in chylificatio
fermentationem, probe diſtingvendam eſſe à naturali ſive ſalina, (v
ca ut lubet,) qvæ ex diverſi generis aſſumtis alimentis neceſſario
riri debet, ut ſupra §. 11. Cap. I. dictum eſt.

XX

XXV. In infantibus,qvamdiu lacte nutriuntur, & adultis, qvi imili nutrimento, qvod minus fermentare aptum eſt, utuntur, ſola vitalis fermentatio locum habet; in aliis amicè concurrit utraqve ac ſeſe mutuò adjuvat.

XXVI Vitalis hoc modò perficitur: Spiritus, qvi per nervos copioſius influunt in ventriculum, permeant aſſumta alimenta continuò, & qvemadmodum videmus igneas particulas movere aqvam in ebete aut olla, donec ebulliat; ita non diſſimili ratione ſpiritus, impetum facientes, plusqvam igneæ ac ſummè activæ mobilesqve particulæ dum in ventriculi contenta penetrant, eaqve hinc & inde commovent, neceſſum eſt, ut eadem ſpumeſcant, emolliantur, ac in liqvamen ejusmodi chyloſum abeant.

XXVII. Inchoatur hæc fermentatio primùm in ore ipſo,qvandocunqve inter maſticandum ſaliva ſpiritibus prægnans admiſcetur deglutiendis cibis,qvos notabiliter alterat. Completur autem in ventriculo eadem, poſtqvam in eo aliqvandiu commorati ſunt cibi, præcipue qvi duriores fuerint.

XXVIII. Qvid verò de ferro, qvod ſtruthiocamelus digerit, ſimilibusqve nimium duris judicandum eſt; annon & hæc ipſa reſolvuntur in ſtomacho? Qvod enim panis, carnes, olera & pultes ab his digerantur, facile permitti poteſt; ferrum autem, oſſa & lapides eodem modo ſolvi, non æqve credibile videtur.

XXIX. Hic non neceſſe eſt, ut cum Argenterio ſentiam, qvi in Comm. Aph. Hipp. p. m. 1053. expreſſè ſtatuit, concoctionem eſſe animæ ipſius functionem, atq; qvod ſtruthiocamelus ferrum & lapides concoqvat, id ejus naturæ atqve formæ, qvâ à reliqvis animalibus differt, adſcribendum eſſe.

XXX. Varia enim huic dubio reſponderi poſſunt. Nempe *primò* poſito, qvod animal qvoddam ferrum & lapides deglutiat, ac in ventriculo comminuat, demonſtrandum tamen mihi eſt, hæc ipſa ſoluta eſſe, & non attritu ſaltim comminuta, qvod egregio Galli Calecutani exemplo demonſtratur à Conſentino in Progymnaſm. VI. de Nutricat. p. 225. & 226. *Secundò* ſi ſoluta ſint, ſolvi poſſunt â fermentatione non vitali, ſed ſalina, hujusqve reliqviis plerumqve acidis. Etenim, qvod *Tertium* eſt, hæc ipſa duriora non ſunt alimenta, ſed peregrina ideoqve extra ſphæram chylificationis poſita; perperam ergò eorum ſolutio à ſpiritibus poſtulatur.

XXXI.

XXXI. Chylificationis itaqve vera causa spiritus sunt. Id qvamvis à priori non possit demonstrari ac sensibus externis capi: potest tamen à posteriori & per conseqventiam non vanam innotescere.

XXXII. Verissimum est, omnia, qvæ vires ac spiritus restaurant, promovere chylificationis opus. In apepsiâ enim & ventriculi imbecillitate, qvid convenientius est vino generosiori aut aromatibus, hincqve paratis cum spiritu V. elixiribus ac usitatissimis vitæ ∇is, qvorum usum in ventriculi langvore & vulgus novit.

XXXIII. Econtra & hoc verum est, omnia, qvæ spiritus alterant aut dissipant, alterare chylificationem & impedire. Qvotidianum est, in nobis chylificationem longè citius absolvi in vigilia, qvam in somno. Somnus enim qvies spirituum est, non qvidem omnimoda sed respectiva. Dum ergò parcius ac tardius ad ventriculum influunt spiritus, necessum omninò est, & tardius absolvi ejus digestionem.

XXXIV. Ne verò culpam conferas in defectum exercitii atqve motus corporis; (qvæ qvidem & chylificationem eo modo promovere concedo, qvô famem excitare in I. Cap. §. 11. dictum est) experire, annon & in lecto qviescentem sed vigilantem, prandii ac cœnæ hora te commonitura sit de fame, qvæ index ac testis est absolutæ jam chylificationis.

XXXV. Deinde qvid judicandum est de amore, mœrore atqve curis, similibusqve animi affectibus, qvi prout appetitum dejiciunt, ita imbecilliorem reddunt ventriculum, & universum corpus contabescere faciunt, ob defectum nutrimenti laudabilis.

XXXVI. Annon verosimile est, spiritus in ventriculo deficere, eo qvod aliis in curis detineantur; qvod & ipsum manifestum est in his, qvi studiis nimium incumbentes, plerumqve apeptici sunt ac macilenti.

XXXVII. Qvid de tabe dorsali tibi videtur, qvæ ex Venere abusu oriri solet; annon necessum est, ut spirituum cum semine profusionem sentiat, tui, totum corpus enervatum, ita & stomachus anorexia simul & apepsia correptus.

XXXVIII. Addo his & gravidarum vomitus, qvi non aliam sæpe ob causam accidunt, qvam qvod spiritus circa fœtus formationem

nem in utero occupati, ventriculum ac primæ digestionis nego-
m deserant; unde ab indigestis ac vitali charactere destitutis cibis
ıvatus stomachus sese contrahit, ut rejiciat contenta, tanqvam
regrina ac magis nociva.

XXXIX. Par enim ratio est gravidarum & heluonum, qvi he-
rnæ crapulæ cruditates, ac avidius ingesta ac indigesta, mane revo-
ınt. Utroqve enim in casu spiritus insufficientes sunt ad absolven-
m chylificationem.

XXXX. Hæc sufficiant hâc vice. Interim Lectorem Benevo-
n rogito, ut priorem cum meâ conferre velit opinionem, atqve can-
dius pronunciare, qvænam harum verosimilior videatur. Qvid-
id autem sit; sciat, me hanc non prius deserere, qvàm alia mihi ve-
r demonstretur.

S. D. G.

COROLLARE:

QVod in qvadripartito Bota-
nico Pauli annotavit, post
ıenthæ usum venæ sectionem
ıcruentam fuisse; idem & mihi
obser-

obſervare licuit in muliere, qvæ
tabe laborabat ſtomachicâ. Cum
enim propter menſes ſuppreſſo
Sangvinis miſſionem poſtula
ret, factum eſt, ut à venæ ſectio
ne tribus vicibus repetitâ vix u
na gutta ſangvinis erumperet
poſtqvam per tres fere ſeptima
nas uſa eſſet eſſentiâ menthæ, cu
aſſociata erat tertia pars elixiri
Vitr. Mynſ. An autem hoc e
uſu menthæ contigerit, aliis judi
candum, atqve ulterius experi
endum relinqvo.

